

peribus ipsis indigentibus occurramus? non sane verbosa est charitas sed agens: opera præcipue magis quam verba aliorum affectionem et amorem ac proinde unionem ciunt. In promptu autem omnia misericordiæ opera sunt, de quibus alibi sermonem habebimus, quæ tum ad corpora levanda, tum ad spiritus refocillandos referuntur, ut omnes per hæc in ædificationem corporis Christi concurramus.

#### Caput IV.

##### DE SS. CORDIS JESU PROMISSIONIBUS.

1. Quæ fuse lateque, maxime in præcedenti capite, exposuimus, aliena fortasse quibusdam videri possent a scopo, qui hujus operis initio propositus nobis fuit, nempe ecclesiasticos quoscumque viros hortandi ad amorem in se et in aliis erga Cor sanctissimum Jesu fovendum, ut ex hac devotione et hoc amore fructus in dies majores prodeant. At parumper rem consideranti non modo hæc aliena videri non debent, sed ea potius quæ in hunc scopum recta ferunt. Qui enim fieri unquam potest, ut cor nostrum Christi Jesu amore æstuet, aliosque ad ejusmodi amorem inflammet, nisi omnia de medio ad charitatem ciendam obstacula

tollat, seque iis disponat adminiculis, quæ prorsus ad Christi missionem exercendam necessaria esse videntur, quam ipse his verbis complexus est: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Obstacula profecto sunt animi vitia et cordis, tepiditas in servitio Dei, amor sui ipsius propriique boni atque terrestrium hujus mundi rerum; contra, dispositiones vel potius conditiones ad Christi missionem exercendam sunt: intelligentiæ expositio per scientiam et fidem, voluntatis perfectio per obedientiam et Dei voluntati conformitatem, cordis sanctificatio per virtutum exercitium, maxime zeli animarum et gloriæ Dei, charitatis erga Deum et proximum; quia ex his amoris ignis cor totum pervadit.

2. Non nisi diligentibus se et mundis corde hominibus Cor Jesu se manifestat, et quo puriores ac sanctiores sint, eo magis in eos sui amoris thesauros infundit: « Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. » Quo quis majori studio contendit ut seipsum perficiat, eo magis Cordis Jesu auxilium percipit, ut suam cum fructu missionem compleat. Ceterum, anne devotio et amor in Cor Jesu in hoc sita sunt, ut unusquisque verbis et non re dicat: « Amo te, Cor sacratissimum Jesu? » Probatio dilectionis, ut alibi dictum est, exhibitio est operis; opus autem hoc est, ut homo magis ac magis in dies se

perficiat, eodemque studio contendat, ut alios perficiat. Hæc est vera devotio, hic verus erga Cor Jesu amor, ad hoc enixis viribus animos intendere ecclesiastici et religiosi viri debent, hic est eorum vocationis statusque finis, quem si prætereant vel negligant, vana est eorum devotio, vanus amor, quem habere profitentur: « Non enim omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris qui in cœlis est (1). » — « Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio nostra... ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obséquium nostrum, quin conformemur huic seculo, sed reformemur in novitate sensus nostri: ut probemus quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta (2). »

3. Studeant igitur ministri Christi et Dei ut bene cognita sua vocatione, suoque statu, sicut in primo et secundo hujus opusculi capite exposuimus; se perficiant sanctosque reddant, ut in capite præcedenti delineavimus: hinc fiet ut re quidem vera sinceraque mente in Cor Jesu. vehementissimo ferantur amore; hac sane ratione et non alia digni erunt, qui Cordis Jesu missione fungantur, et quorum fructus abundantes sint et perpetuo maneant. Hos Cordis sui

(1) Matth. vii, 21.

(2) I. ad Thess. iv. — Ad Rom. xii.

apostolos Christus diligit, his suam potentissimam committit voluntatem, neque prius sui Cordis arcana prodit, quam ipsi integrum cor propriosque tradant affectus. Procul igitur a nobis torpor ille abeat, quo fit ut dies et anni sine vero meritorum fructu prætereant, quia nonnisi materiali et carnali modo, non autem spiritu interiori agimus. Jam Deus spiritus est et « in spiritu et veritate oportet adorare: » ne sacerdotes Christi carnales judæorum et pharisæorum sacerdotes imitentur, qui « decimabant mentham et anethum et cyminum, et relinquebant quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam et fidem (1). »

4. Itaque quo magis in dies ac magis Cordis Jesu amore æstuemus, et pluris devotionem hanc faciamus, operæ pretium est paucis disquirere quas Cordis sui amantissimi Jesus Christus divitias revelaverit, quæque promissa suæ dilectissimæ virgini B. Margaritæ Mariæ multiplicia tradiderit, in eorum auxilium et bonum, qui hanc devotionem et in se nutriunt et in aliorum animos propagare student et fovere. Profecto non omnia et singula hic nobis enumeranda ducimus, sed quæ ecclesiasticis et religiosi viris opportuniora esse, pro scopo nobis proposito, arbitramur. Hæc nos erga Cor Jesu magis afficient, quia in his Cordis

(1) Matth. xxiii, 23.

hujus thesauros et immensum ejus amorem reperire fas erit. nec non quid emolumenti, pro hac et futura vita, in devotione et amore erga Cor amantissimum Jesu repositum sit.

I.

*« Omnes in eos gratias effundam, quibus in suo statu indigent. »*

1. Hæc prima est Christi promissio, quæ quanti facienda sit nemo est qui non videat. Nam præter communia christiano stâtu necessaria ordinis supernaturalis auxilia, aliis specialibus in uniuscujusque nostrum speciali statu indigemus: quicumque enim particularis status, in quo quisque a Deo est positus, sua habet officia quibus fungi debet, suas difficultates superandas, sua discrimina sive corporis, sive animæ cavenda: quibus omnibus nisi ordinis supernaturalis auxilia respondeant, fieri nunquam potest, ut sospites evadamus. Jam in genere nemo dubitare potest quin Deus christiano homini desit, qui, eo volente vel positive permitte, statum quemdam ingressus est: «Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis (1).» At fieri aliquando potest ut quis, inconsulto Deo.

(1) Conc. Trid., Sess. vi, c. 11.

vel temere, statum quemdam ingressus sit; fieri etiam potest, ut recte in statum quemdam ingressus, non tamen « sategerit ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faceret, unde peccavit aliquando (1). » Proinde ab his se Deus avertit, atque gratias denegat necessarias, quas temerariis et infidelibus ipsum tentantibus non promisit, nec promittere intendit.

2. Quis autem de fidelitate sua tam securus esse potest, ut omnia egisse quæ agenda erant arbitretur, ad gratias omnes statui suo necessarias merendas? Homines sumus et humani aliquid patimur; omnes a viis rectitudinis ex animi vitio vel mobilitate defecimus; omnes plus minusve proprio amore ducimur: ideo abundantes saltem demeremur gratias, quæ aliquando ad nostra exercenda munia necessariæ omnino videri possent. Hinc quotidiani defectus, inextricabiles difficultates, luminum carentia, cordis amaritudines, languor et fere, ut ita dicam, desperatio in agendo. Hinc fit ut nos quandoque status nostri pœniteat, et cogitemus fortasse sine certa vocatione in illum venisse, quia tot tantisque obvolvitur angustiis, ut pœne derelicti a Deo esse videamur. Hinc querimus sæpe de precum nostrarum ad Deum ac sanctos sterilitate, quamvis ferventer et perseveranter

(1) II. Petr. I.

oravimus. Deus sane quotidianas punit in nobis, relate ad præcedentes gratias statui nostro convenientes, ac multiplices infidelitates: digni enim non sumus, qui novis donis et favoribus cumulemur a Deo, cum sponte oblata minimi fecerimus.

3. Quod si de statu ecclesiastico vel religioso sermo sit, deque nobis Christi et Dei ministris, incredibile dictu est quot onera ferre in hoc statu debeamus, quam gravia magnique ponderis munia nobis imponantur, et quantam pro his omnibus rationem Deo reddere teneamur. Profecto Deus non defuit nobis, qui Spiritus sancti donis et charismatibus in sacerdotio conferendo ornavit et cumulavit, qui præsto nobis est et propitius adest, quotiescumque suo auxilio indigemus, qui denique tot nobis in promptu media salutis posuit, quibus et sancte agamus et alios ad sancte agendum compellamus. Sunt nobis in manu sacramenta; est omnium venerabilissimum sacrificium corporis et sanguinis Christi; sunt Ecclesiæ preces et sanctorum communio, exempla illustrium virorum et in sanctitate perfectorum; sunt denique Antistitum nostrorum vigilantia, exhortationes, consilia, et plura alia abunde collata, quibus si bene uti sciremus, nihil deesset quominus nostro statui condigno modo ageremus. At his bene usi sumus?

4. Gratias igitur quamplurimas sanctissimo Jesu Cordi reddamus, qui ad nostram erga Cor suum devotionem remunerandam omnes gratiarum suarum thesauros nobis protulit, atque promisit fore ut omnia præberet auxilia, quibus ad munia in statu nostro exercenda indigemus. Quam magnum hoc sit beneficium quis non videat? cum hoc uno erga Cor Jesu devotionis et amoris titulo omnia liceat statim reparare, quibus in statu nostro contra Deum peccavimus eisque gratias et auxilia demerimus. Si quid minus rectum in hoc eligendo statu fuit; si animi socordia non ut decebat circa nostram vocationem et statum egimus; si denique cum tepore nostris officiis functi sumus; licet nobis in Jesu amicitiam per devotionem erga Cor suum redire, ut deinceps sicut filios carissimos nos habeat, quibus omnia abunde concedat, nihil denegat quod optamus, vel necessarium aut utile videri posset.

5. Ergo si vere Cor Christi amamus, sperandum fore ut ipse, qui vera lux est, ad melius credendas cognoscendasque revelatas veritates lumina præbeat, quas populis tradere tenemur; ut consilia suggerat ad prudenter agendum, nosque et alios in salutis viam dirigendos. Ipse certe vires addet supernaturales, quibus non deficiamus in via, atque magna animi alacritate difficilia obeamus ministeria, atque ex eis fructum col-

ligamus. Nec nobis imprimis patientia deerit et mansuetudo, quæ excellentes sunt et necessariae sacerdoti virtutes in iis, quæ cum ovibus suis perpetuo agere debet: his vero animi tranquillitatem et pacem Christus addet, quamvis opus sit ut inter mundi dissidia et tumultus versemur, quamvis persecutionum fluctibus concutiamur, atque adversis omnibus obvolvamur rebus. En primum devotionis et amoris erga Cor Jesu sanctissimum fructum et emolumentum, de quo sane dubitare non licet, cum idem ipse promiserit.

II.

*« In omnibus eorum animi angustiis quietem et solamen tribuam. »*

1. Quis sibi in hoc mundo vitam integram doloribus atque angustiis liberam promittat, quæ sive ex animæ vel corporis ægritudinibus, sive ex publicis vel privatis adversitatibus sæpissime obveniunt? Quousque in hac lacrymarum valle versabimur fieri nequaquam potest, ut tribulatione aliqua non concutiamur. Quæ autem magis nos afficere solent animi angustiae sunt, amaritudines et cruciatus quorum plurima est causa vel a Deo, qui suorum constantiam tentamine probat, vel a dæmone, qui in desperationem homines impellit, sive ab hominibus ipsis male

erga nos affectis, sive denique ex ipsa animi debilitate et defectu. Sane oportet ut in omnibus his non amare feramus, sed nos patienter geramus, si æternam gloriæ coronam adipisci cupimus, si nostra aliorumque crimina luere, Decoque nostri ipsius holocausto Jesu Christi holocausto adlito, gloriæ reddere.

2. At quandoque fit ut hæ animi angustiae supra modum excedant, magnæque amaritudinis et concussionis causa sint, maxime cum interius excitentur, sive ex dæmonis insultibus, sive ex aliis, quæ animum vehementer perstringere solent. Cum hujusmodi angoribus afficimur nobis in more est ad animum leniendum externa quærere solatia, quo ad alia mentem vertamus et cum aliquo bono malum latum compensemus. Verum præsto est nobis remedium efficacissimum, quod negligimus et tamen unicum est, quod nostris malis mederi vere possit et debeat.

3. Hoc in Jesu sacratissimo Corde reperitur. Profecto in mentem revocemus quos animi angores sanctissimum Cor hoc tulerit ex vitæ suæ primordiis inter homines: vita enim Christi crux fuit et martyrium, non quidem corporis, nisi præcipue passionis tempore, sed cordis, quod ex injuriis Patri suo illatis augebatur, ex nimis hominum criminibus, ex eorum æterna perditione, ex

omnium animi ingratitude, tot selectis a Deo beneficiis collatis, ex inutilitate saltem pro innumeris hominibus suorum quos laturus erat, quosque in præsentis ferebat dolorum, ex ignominiarum, dolorum et mortis suæ pro hominum criminibus subeundæ frequenti cogitatione. Hæc omnia Cor Christi distinuerunt toto vitæ suæ tempore, sed præsertim in horto antequam pateretur vehementissime affligerentur, et cum cruci affixus moreretur, hæc vera mortis causa fuerunt. Hinc voces illæ: « Tristis est anima mea usque ad mortem... Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » Credere sane licet tum omnium fidelium hominum desolationes, cordis dolores, animæ angustias, tentationes, concussiones in uno Jesu Corde cumulata fuisse, ut in se experiretur, quæ omnes fideles pro ipso passuri erant.

4. Quid autem ad hæc subeunda Christum impulit nisi Cordis sui amor? mens enim illi fuit, ut ex suis angoribus et desolationibus nos fideles suos solaretur et exemplo doceret. Nos præsertim ministros suos et passionum socios, qui ipsi proximiores ministerio et dignitate, majori quidem ratione similes esse oportebat. Et revera quot sunt nobis ferenda mala, si una cum Christo eodemque zelo ejus missionem prosequi volumus? Haud dubium quin eadem ac Christus ferre debeamus, criminum multitudi-

nem, animarum æternam perditionem, hominum ingratitude, nostrorum laborum inutilitatem, obstacula multa quæ ministeriis nostris obversantur, minimum forte successum; ad hæc, animi desolationes et terrores, ex parte dæmonis tentationes non paucas, ex parte inimicorum persecutiones. Hæc omnia Cor sacerdotis fidelis afficiunt, hæc conturbant, hæc quandoque agone quodam conficiunt.

5. At cur perforatum est, inquit Bernardus, latus Domini Jesu, nisi ut nobis pateat introitus? Cur vulneratum est Cor ejus, nisi ut in illo ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus (1)? Si quis igitur perturbari sentiat et deficere in via, adeat Cor Jesu: ab illo levare licebit, ab illo leniri; ipse enim Jesus inquit: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (2). » — « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (3). » Ipse dulcissimo ac suavissimo amoris sui vulnere nos enutriet, quod veluti balsamo cordis nostri vulnera liniet. In hoc Corde, longe ab hominum tumultu et mundi perturbatione, quietem illam tranquillam inveniemus, quam frustra ex hominibus etiam amicissimis exquirimus. Nemo enim dat

(1) Tract. 3 de Pass. Dñi. (2) Matth. xi, 29.

(3) Matth. xi, 28.

quod non habet: Christus autem pacis princeps est et gaudii plenitudo; et quamvis angustiis omnibus vivens fuerit obvolutus, summa tamen pace, summoque solatio in superiore animi parte fruebatur.

6. Igitur Christus tum instructione, tum exemplo suo docere nos poterit quid agendum nobis sit, ut animi inter motus et angores pace, veroque solatio fruamur. Quod si aliud addi debeat, præsto nobis suo auxilio erit ut promisit, atque levamen afferet, quia ipsi in se transferre mortalium mala placuit per omnia probatus ut misericors fieret. Cum ab aliquo S. Ignatius interrogaretur, utrum aliquid esset quod ejus animum perturbare posset; utique reposuit Sanctus, si scilicet minimam quam institui Societatem Jesu, uno horae momento, tamquam salis granum in aqua, destrui et dilabi viderem; at statim addidit: horæ tamen quadrans satis mihi foret ad perturbationem hujusmodi sedandam; sanctissimum enim Eucharistiæ sacramentum convenirem, ibique in Corde Jesu me conderem, ut meo malo solamen afferret.

III.

« *Multiplices benedictiones super quæcumque eorum incepta effundam.* »

1. Nonne Christum nostro amore dices indigere, qui tam largum et beneficum erga eos, qui eum diligunt se præbet? Olim Cor suum charitatis flammis exæstuans beatæ Margaritæ Mariæ conspiciendum ostendens: « Meum Cor, inquit, ardet desiderio se fidelibus animabus communicandi. Mihi opem feras, carissima filia, ut tantus ignis tantisper refrigeretur; fac ut omnes et ubicumque, per te et per alios sciant, me paratum utcumque esse ad gratias omnes absque modo et mensura in hominum animas effundendas, quæ eas ex Corde meo haurire velint. » Anne aliter loqueretur qui amari indiget, quique tam ardentem diligit ut præ amoris vehementia deficiat? Nunc autem cum multiplices benedictiones super quæcumque eorum incepta, qui eum diligunt, effundere promittat, immensam Cordis sui liberalitatem prodit.

2. Attamen, ne decipiamur, meminerimus mentem Christi non esse, ut inceptis terrestribus et vitæ hujus temporis se tam effusum in benefactis præbeat, nisi prius quæramus regnum Dei et justitiam ejus; cum enim pater sit et infinite sanctus, non nisi

hominum verum bonum æternamque beatitatem præ omnibus ipsis procurare potest. « Quis autem ex vobis, inquit, patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se (1)? » Quæ verba sane evidenter indicant paratum Christum per se vel per Patrem suum esse ad omnia effuse concedenda, quæ ad *spiritum bonum* habendum conducunt, etiamsi aliquando bona temporis sint; sed negaturum etiam spiritalia bona, si ad *spiritum bonum* habendum minime faveant, atque saluti nostræ æternæ vel aliorum adversentur.

3. Quod si pro spiritalibus inceptis, ad ministeria sacra obeunda in animarum salutem et adjumentum petamus et oremus, facilius fiet ut Christus multiplices suas benedictiones largiatur, maxime si ex ejus Corde haurire velimus. Quot sunt in nostro statu, quæ in animarum salutem et Ecclesiæ augmentum agenda proponuntur, quæque tamen nullis humanis viribus, mediisque exequi valemus? Ad ea perficienda ab hominibus consilia quærimus, auxilia et opera imploramus, noctes diesque in animi

(1) Luc. xi, 11, 13.

recogitatione consumimus, ut tandem quod mente concepimus re extendamus. At si, his non omissis quæ prudenter agenda, præprimis in Corde Jesu consilia et incepta nostra recondissemus, Christi benedictio non defuisset, consilia hominum majori dexteritate ex divino lumine nobis proposita fuissent, necnon media et auxilia humana abundantiora quam par est et efficaciora ex insperato advenissent.

4. Verum si optamus ut nostris inceptis Cor Jesu abunde benedicat, en quibus ea conditionibus contineri oportet. Primum caveamus ne nisi pura et recta intentio sit quæ erga ea ferimur: non sane nosmetipsos, non vanum quid gloriæ lucrum, non commodum aut voluptatem, aut temporaneum aliquod emolumentum quæramus, sed unice Dei gloriam, Ecclesiæ bonum et animarum salutem. Etenim recta intentio spiritum bonum inducit, vana vero aut terrestris etiam quod bonum inceptum est sordide inficit. « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit (1). »

5. Neque hoc satis: necesse enim est ut magna cum fiducia et humili prece ad Cor Jesu confugiamus: « Quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis (2), » ait Chri-

(1) Matth. vi, 22.

(2) Matth. xxi, 22.